

manducatione per fidem, eo quod non est verisimile Christum imposuisse præceptum de sumenda utraque specie corporis et sanguinis sui; quod tamen poneretur, si sibi esset sermo de sumptione sacramentali.

X. Cæterum utraque solutio nullius momenti est. Non prima, quia non facimus vim in eo, quod illi audientes sermonem Christi, non intellexerint ipsum loqui determinate de tali modo sumendi corpus suum invisibiliter et sacramentaliter contentum, sed solum facimus vim in eo, quod ipsi intellexerunt Christum non loqui figurate et metaphorice, sed de vera et propria manducatione corporis sui; et quia invisibilem modum continentiam in sacramento nec suspicari poterant, sumptionem vero ipsius in propria specie ut horribilem reputabant, ideo dubitaverunt, quomodo posset carnem suam dare ad manducandum, quasi præsupponentes ipsum loqui de vera comestione illius in substantia, dubitabant vero de modo. Discipuli vero existimabant modum comedendi futurum in propria specie, ut Augustinus dixit tractatu xxvii in Joannem; et ideo responsio Christi correxit eos ab ista sinistra intelligentia, docens quod non erant comesturi eum in propria specie, si quidem ascensus erat in cælum: imo etiamsi in propria specie comederetur, non prodesset quidquam ad vitam æternam, sed solum ad alimentum temporale, sicut carnes aliorum animalium. Ad hunc autem effectum velle manducare Christum omnino impium esset; et in ordine ad talem manducationem recte dicit Augustinus: « Quid paras dentem et ventrem? » Licet enim Christus in sacramento contentus corporali ore sumatur, tamen quoad fructum et effectum, fide manducandus est, et non solum dente.

XI. Secunda vero solutio sustineri non potest, nam aliud est affirmare quod ibi Christus Dominus etiam locutus sit de spirituali manducatione per fidem, quæ sine dubio requiritur ad fructum hujus sacramenti, et ideo principaliter a Domino commendatur; aliud est negare quod ibi Christus egerit de hoc sacramento, et non promiserit ipsum instituere. Primum verum est; secundum vero falsissimum, cum verba illius capitis manifeste loquantur de pane sacramentali, contrapositione manna, quod in deserto manducaverunt patres illorum, et erat figura hujus sacramenti. Nec apparet aliqua ratio, cur appellaverit Christus hic carnem suam, panem; et sanguinem suum, potum, nisi per respectum ad hoc sacramentum, in quo continetur per modum cibi et potus. Nam ad habendam fidem Christi sine ordine ad hoc sacramentum, sufficiebat considerare ipsum ut Deum et hominem, non ut panem et potum. Et ita videtur intellexisse Tridentinum sess. XIII, cap. II, dum dicit: « Doluisse Christum sumi hoc sacramentum tamquam spirituale cibum animarum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, vivet propter me; » quæ sunt verba Christi in illo capite. Loquitur autem Concilium de reali sumptione sacramenti, non de spirituali tantum. Et hæc est communior sanctorum patrum intelligentia de isto loco Joannis, ut sentit Athanasius, Basilius, Chrysostomus, uterque Cyrillus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Leo papa, et alii, quorum verba videri possunt apud Suarez disputatione XLVI citata, sectione II. Quod vero Ecclesia et patres eodem modo intellexerunt Christum locutum fuisse in sensu proprio, cum dixit: *Hoc est corpus meum*, superfluum est re-

ferre, cum jam Concilium Tridentinum sessione XIII, aperte definierit id esse intelligendum in proprietate sermonis, et nihil sit communius apud patres, et in usu ac traditione Ecclesiæ quam hoc sacramentum appellare corpus et sanguinem Domini, et in veritate contineri in hoc sacramento; quorum auctoritates latissime adducunt Bellarminus, Suarez et Vasquez citati, ubi videri possunt; nobis sufficiant tot Conciliorum auctoritates, quas supra citavimus, ubi hæc veritas definita est; et majorem vim habent Concilia, quam dicta patrum.

XII. Denique Ecclesia semper adorationem exhibuit et exhibet huic sacramento, et eandem reverentiam, quam ipsi personæ Christi (scilicet adorationem patriæ) ut constat ex definitione Concilii Tridentini sess. XIII, cap. V, et can. VI. Et est antiquissima Ecclesiæ consuetudo; nam S. Clemens papa lib. II constitutionum, cap. LXI, loquens de hoc sacramento: « Cum timore, inquit, et tremore tamquam ad regis corpus accedentes: » Augustinus super Psalmum xxxviii: « Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit: » Chrysostomus hom. III ad Ephesios: « Adora, inquit, et manduca » Ipse etiam canon missæ, qui antiquissimus est, nihil aliud repræsentat, quam adorationem et cultum ipsi sacramento et corpori Christi exhibendum. Et denique universalis Ecclesia absolute hoc sacramentum adorat in hymno hujus festivitatis, cum dicit: « Tantum ergo sacramentum veneremur cernui. » Similiter qui indigne manducat hoc sacramentum, dicitur judicium manducare et bibere, non dijudicans corpus Domini I ad Corinth. XI; si autem panis ille et vinum solum essent signa corporis et sanguinis Christi, nec ipsum realiter continerent, qui sic comederet,

non peccaret in eo quod non discerneret corpus Domini: potius enim deberet judicare non esse ibi corpus Domini; at dicit Apostolus, ex hoc judicari et damnari, quia non dijudicat corpus Domini: ergo ibi realiter et vere continetur.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIII. Fundamentum hæreticorum, ut verba Christi non intelligant proprie, sed figurate, potest esse duplex. Alterum, quia apparet ipsi impossibile, quod corpus Christi simul sit in cælo, et in sacramento; sed cum non afferant manifestam implicationem, quia hoc non destruit aliquod prædicamentum essenziale, vel essentialiter requisitum ad substantiam corporis Christi, non oportet in hoc immorari; sed solum in subsequentibus explicare ea, quæ difficultatem afferunt, sed non impossibilitatem circa hoc sacramentum. Alterum fundamentum est, quia aliqui patres intelligunt Christum figurate in illis verbis loqui, et esse in hoc sacramento tamquam in signo: sic enim inquit Tertullianus lib. IV contra Marcionem, cap. XL: « Corpus suum fecit dicens: Hoc est corpus meum, id est, hoc est figura corporis mei: » S. Dionysius epist. IX ad Titum: « Jesum in parabolis, per typicæ mensæ apparatus deifica mysteria tradere: » Augustinus supra relatus tractatu xxv in Joannem: « Crede, et manducasti: » et iterum: « Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, etc. » Et in aliis locis vocat hoc sacramentum figuram corporis Domini, ut super Psalmum III, et epistola xxviii, et libro contra Adimantum Manichæum, cap. XII, ubi signum nomine signati dicit appellari, et subdit: « Non dubitavit Dominus dicere:

Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui.» Citatur quoque S. Hieronymus super caput XIV Marci, ubi inquit: «Quod accipiens panem, benedixit et fregit, et transfiguravit corpus suum in panem, quod est Ecclesia præsens, quæ accipitur in fide, benedicitur in numero, etc.» Omitto alias auctoritates, quæ non ita urgent et ex responsione ad istas solvi possunt.

XIV. Respondetur auctoritates istas, et alias similes probare quod in eucharistia invenitur signum, et repræsentatio corporis Christi, quia est verum et proprium sacramentum, atque adeo signum corporis Christi; non tamen probant in hoc signo non contineri corpus Christi realiter, hoc enim patres non negant. Et sic affirmare quod sit signum, seu sacramentum, nihil probat ad negandum quod contineatur in eo corpus Christi. Sic ergo et patres, et nos fatemur, eucharistiam esse signum corporis Christi; non tamen patres, nec nos dicimus, tantum esse signum. Et in hoc est punctus difficultatis: unde Tertullianus in illo loco, si bene perpendatur, utrumque dicit, et quod panis sit corpus suum quantum ad rem contentam; et sit figura, seu signum corporis sui, quantum ad species continentes, ratione quarum eucharistia est sacramentum: sæpius autem Tertullianus fatetur nos in eucharistia manducare corpus Domini, ut videri potest libro de resurrectione carnis, cap. VIII: «Caro, inquit, corpore et sanguine Christi vescitur, et anima saginatur.» Et videri etiam potest libro II ad uxorem, cap. V; libro de idololatria, cap. VII, et aliis locis. Locus Dionysii non urget, quia Christus deifica mysteria tradidit, et in parabolis, quantum ad prædicationem, et per typicæ mensæ apparatus in hoc sacramento; non tamen dixit, quod in

hoc sacramento parabolice locutus sit. Augustinus in illis tractatibus super Joannem, solum vult carnem Christi, quantum ad suum fructum, non debere manducari, sicut cibus visibilis, sed fide et devotione debere sumi; et quod non est comedendum corpus Christi quod videbatur, scilicet sub specie visibili, et in quantum videbatur. Cum autem in aliis locis dicit, hoc sacramentum esse figuram corporis Domini, non loquitur de re contenta, sed de ipso sacramento, prout continente et significante, et prout sacramentum est, sic enim est signum; sed non ponit Augustinus exclusivam, quod tantum sit signum. Hieronymus vero, vel quicumque est auctor illius commentarii super Marcum, loquitur in sensu mystico; et de hoc sacramento pro effectu, quem facit in nobis, scilicet prout unit corpus suum Ecclesiæ. Et hoc vocat transfigurare corpus suum in panem, quod est Ecclesia; non vero loquitur de ipsa conversione panis in corpus Christi, sed de effectu ipsius in nobis, dum corpus suum nobis unit per fidem vivam, non tamen negat realiter esse in hoc sacramento.

NIHIL DE SUBSTANTIA PANIS ET VINI  
MANET POST CONSECRATIONEM, SED  
TOTUM CONVERTITUR IN CHRISTUM.

XV. Hoc esse secundum et tertium quod supra posuimus esse de fide in hoc sacramento. Utrumque est expresse definitum in Concilio Tridentino sess. XIII, can. II, et cap. IV, ubi definitur non remanere substantiam panis et vini cum corpore et sanguine Christi, sed converti in ejus corpus et sanguinem, remanentibus dumtaxat speciebus panis et vini. Additque Concilium capite IV, rationem et fundamentum unde Ecclesia

colligit hanc conversionem debere poni: «Quoniam, inquit, Christus redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo hæc sancta Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius panis in substantiam corporis Christi Domini, etc.» De utroque autem est difficultas; et de veritate ipsa contra hæreticos, qui simul ponunt cum Luthero substantiam corporis Christi cum substantia panis; et de consequentia apud theologos, an sufficienter colligatur desitio panis, et conversio ejus in corpus Christi.

XVI. Contra hæreticos autem sufficienti supponere ipsam veritatem verborum Christi dicentis: *Hoc est corpus meum*: ubi *ly hoc*, quod est subjectum, designavit illum panem, quem discipulis præbebat ad manducandum; et per *ly corpus meum*, quod est prædicatum, designavit illud corpus quod erat caro sua; illud verbum est, quod est copula, sumitur pro esse realiter et proprie, non figurative, ut supra diximus; et verificatur illud prædicatum vere et proprie de illo subjecto designato per *ly hoc*. Quæ verba sic intellecta destruunt omnes interpretationes hæreticorum, quæ circa talia verba finguntur, et in tantum multiplicatæ sunt, quod libellus prodierit integer continens ducentas: sed sunt plane fictæ et ridiculæ. Nam ex ipso contextu apertissime constat, quod: *Accipit Jesus panem, deditque discipulis suis dicens: Accipite et comedite; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*: ergo *ly hoc* ex parte subjecti, aperte designat rem illam, quam Christus dabat discipulis suis comedendam, nec potest nisi chimerice aliud designare; non ipsum Christum, quasi diceret: Hoc meum

corpus est corpus meum, non locum in quo erat, non actionem quam faciebat, non collegium Apostolorum et discipulorum, aut ipsam Ecclesiam, quæ est mysticum corpus ejus; hæc enim omnia hæretici pro subjecto illius propositionis accipiunt; sed apertissime contra litteram, quia si præbendo panem ad comedendum Christus diceret: Hoc meum corpus est corpus meum, non autem designaret per *ly hoc* rem illam quam dabat ad comedendum, omnino impertinenter loqueretur, et sine aliquo fine. Et quomodo præciperet Christus Ecclesiæ rem illam perpetuo celebrare, dicendo: Hoc facite, etc. si solum dicebat quod suum corpus esset suum corpus? Similiter ille locus in quo erat Christus, vel in quo erat panis, quem dabat, non potest significari pronomine hoc, sed adverbio hic; nec loqueretur ad rem Christus, si diceret: Sumite panem, quia in hoc loco est corpus meum, vel in hoc loco est iste panis; quid ineptius? Similiter illa actio quam faciebat Christus non poterat designari per *ly hoc*; tum, quia *ly hoc* designat rem, quam ad manducandum exhibebat; illa autem actio non comedebatur; tum, quia dixit rem illam esse suum corpus, quod tradendum erat pro omnibus; actio autem illa non erat corpus tradendum. Et eadem ratione non potuit intelligere per *ly hoc* ipsam Ecclesiam, vel collegium apostolicum, quod est corpus mysticum, quia illud non erat tradendum, sed potius pro illo tradendus erat Christus.

XVII. Ex parte autem prædicati *ly corpus meum* significat carnem Christi: hæc enim tradita est pro nobis, et de qua ipse Christus dixerat Joan. VI: *Caro mea vere cibus*; non ergo *ly corpus meum* significat ipsum panem, quasi dicat panem

illum esse corpus, seu rem possessam a Christo, sicut sunt aliæ creaturæ; vel quod ipsa substantia panis est corpus de novo unitum hypostatice ipsi Verbo divino, quod fiebat panis in eucharistia, ut aliqui posuerunt, vocantes impanationem, quod est manifestus error. Nam Christus Dominus specificavit quale esset illud corpus, dicendo: *Corpus meum, quod pro vobis tradetur; et calix, qui pro vobis effundetur*; quod neque de corpore, quod est panis, nec de vino verificari potest. Denique illa copula est sumitur proprie, et facit veram prædicationem, significando quod illud hoc, est verum corpus Christi, non figurative aut metaphoricæ. Et sic manent exclusi omnes errores, qui posuerunt substantiam panis esse in sacramento; sive eorum qui dixerunt simul sub speciebus esse utrumque corpus (panis et Christi) sicut tandem posuit Berengarius, Joannes Hus et Lutherus; et etiam error eorum, qui dixerunt substantiam panis uniri Verbo, ut Rupertus abbas libro II de divinis officiis, capite V. Et ita definitum est in multis Conciliis, substantiam panis et vini non manere in hoc sacramento, sed converti, ut in Concilio Romano sub Gregorio VII; in Lateranensi sub Innocentio III, et habetur in capite Firmiter, de summa Trinitate; Constantiensi et Florentino; et denique in Tridentino supra relato.

XVIII. His suppositis restat discutere, quomodo ex vi significationis illorum verborum efficaciter inferat Ecclesia non manere substantiam panis in hoc sacramento, sed converti in corpus Christi. Et est ratio dubitandi, quia poterat Deus, si vellet, ponere corpus Christi sub istis speciebus, conservando simul substantiam panis, verbi gratia, convertendo aliam materiam in corpus Christi, et alligando illud istis

speciebus cum corpore panis; ergo per se loquendo illa realis præsentia corporis Christi non petit absentiam panis. Poterat etiam annihilare substantiam panis, vel in alium locum remove, et nihilominus hic ponere corpus Christi, et tunc non esset conversio: ergo præsentia corporis Christi, per se loquendo, non petit conversionem: similiter neque verificatio verborum hoc petit, quia si id esset, maxime quia dicendo: *Hoc est enim corpus meum*, non potest verificari, nisi totum contentum sit corpus Christi; sed hoc est falsum, nam ly hoc, non est idem quod totum hoc, sed supponit indefinite pro aliquo ibi contento: ergo non requiritur ex vi illius significationis, et ad ejus verificationem, quod totum contentum sit corpus Christi, sed sufficit quod aliquid ibi contentum sit corpus Christi, et aliquid sit panis: sicut vere dicimus de carne humana, quod est corpus, et tamen non continetur ibi solum corpus, sed etiam anima; ergo ad verificandum ly hoc, non requiritur quod totum contentum sub speciebus sit corpus Christi.

XIX. Et confirmatur, quia quando in aliis rebus demonstramus aliquid per pronomen hoc, non est necesse demonstrare totum contentum, sed sufficit demonstrare partem, etiamsi absolute proferatur; sicut quando aliquod vas continet vinum, vere dicimus: *Hoc est vinum absolute et simpliciter*, licet ibi sit etiam aliud corpus continens, scilicet ipsa substantia vasis. Et in linteo ubi est aurum inclusum, et aliquid parum argenti, absolute dicimus: *Hoc est aurum*, non obstante quod ibi sit aliquid argenti: ergo similiter posset dici, quod in hoc sacramento maneret substantia panis, et intra illam quasi intra vas inclusum corpus Christi; ita quod non solæ species, sed etiam substantia panis sit

contentivum corporis Christi; tunc enim simpliciter verificatur, quod hoc est corpus Christi ut contentum, sicut verificatur de vase quod hoc est vinum, licet substantia vasis ibi maneat ut continens; vel quia existente ibi corpore Christi substantia panis reputatur pro re tam parva, quod absolute potest designari corpus Christi per pronomen hoc, licet simul cum ipso sit substantia. Unde enim oppositum convincetur ex præcisa significatione verborum?

XX. His fundamentis adducti aliqui ex catholicis sentiunt, quod licet ex definitione Ecclesiæ constet substantiam panis et vini non manere in hoc sacramento, id tamen ex præcisa significatione verborum non deduci. Quæ sententia est Scoti in IV, dist. XI, quæst. III, et Durandi ibidem, et Paludani et aliorum, qui auctores locuti sunt ante concilium Tridentinum quod sess. XIII, cap. IV, non solum definit substantiam panis et vini converti in corpus et sanguinem Christi, sed etiam ideo fieri hanc conversionem, quia Christus vere dixit illud esse corpus suum. Aliqui tamen recentiores apud Vazquez hic disput. CVIII, cap. V, pro sententia Scoti dixerunt revera illa verba: *Hoc est corpus meum*, duplicem sensum facere posse, et utrumque verum, alterum non destructa substantia panis, et significando per ly hoc, non totum quod ibi est contentum, sed aliquid ex ibi contentis; et ita potuisse verificari etiamsi ibi panis remaneret. Alter sensus est, quod ly hoc designet totum contentum sub illis speciebus esse corpus Christi, nec manere ibi substantiam panis. Ecclesia autem elegit hunc secundum sensum, edocta ab Spiritu sancto; et ita de facto sic debent verificari illa verba, quia sic voluit Christus de facto: potuissent tamen etiam priorem sensum facere, si ipse vel-

let. Unde non probatur efficaciter hæc veritas desitionis et conversionis panis præcise ex sensu, quem possunt illa verba facere absolute, et ex se, sed prout intellecta sunt ab Ecclesia, et ut nobis determinate repræsentant quid de facto voluerit Christus, non permittendo consortium panis cum corpore suo; non autem præcise attendendo ad significationem verborum.

XXI. Nihilominus hæc sententia evertit totum fundamentum Concilii, et ideo omnino rejicienda est, et firmiter asserendum, illa verba solum unicum sensum facere posse, quem adstruit Concilium. Nam si ista verba possunt facere illum duplicem sensum, ita quod illud pronomen hoc et possit designare partem, uterque sensus est verus et legitimus; ergo non ex eo quod Christus vere dixit illud esse corpus suum potuit sufficienter persuaderi Ecclesia non manere hic substantiam panis, sed converti in corpus Christi. Patet consequentia, quia potuit Christus Dominus vere dicere illud esse corpus suum etiam sine desitione panis; ergo non ideo quia vere illud dixit, persuaderi potest Ecclesia quod hic desinat panis, si quidem potest vere dici, etiamsi non desinat. Nec potest dici, non ex eo præcise id colligi, quia vere dicitur absolute, sed quia vere dicitur tali modo, scilicet, prout de facto voluit Christus, et intellexit Ecclesia. Etenim hoc ipsum vult probare Concilium, quare sic intellexit Ecclesia, nempe ideo, quia Christus vere hoc dixit: ergo si supponit vere dixisse secundum intellectum Ecclesiæ, probaret Ecclesiam sic intellexisse, quia sic intellexit, quod esset negari. At Concilium dicit, quia Christus corpus suum id quod offerebat sub specie panis vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, per consecrationem panis et